



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Francisci Baconi Baronis de Verulamio, Vice-Comitis S.
Albani, Summi Angliæ Cancellarii, Opera omnia, Quæ
extant: Philosophica, Moralia, Politica, Historica ...**

Bacon, Francis

Francofvrti ad Moenvm, 1665

III. Cyclopes, sive ministri terroris.

urn:nbn:de:bvb:12-bsb10497643-5

II.
TYPHON, SIVE RE-
BELLIS.

Narrant Poëta *Iunonem* indignatam, quod *Jupiter Palladem* & sese, sine ea peperisset, omnes Deos, atque Deas precibus fatigasse, ut ipsa etiam sine *Iove* partum ederet. Et postquam violentiæ, & importunitati ejus annuissent, terram illa concussit, & quo motu *Typhon* natus est, Monstrum ingens, ex horrendum. Ille serpenti veluti Nutritio datus est, ut ab eo aleretur. Nec mora, postquam adolevisset, quin bellum *Iovi* moveret. In eo conflictu *Jupiter* in potestatem *Gyantis* venit, qui illum in humores sublatum in regionem remotam, & obscuram transportavit, & concisis nervis & manuum & pedum, & secum abreptis, mancum, & mutilatum reliquit. *Mercurius* autem nervos *Iovis Typhoni* suffuratus est, eaque eos *Iovi* restituit. *Jupiter* confirmatus, Belluam rursus impetit; ac primum fulmine vulneravit, ex cujus sanguine serpentis nati sunt. Tum demum ruentem, & fugientem (*Aenam* super eum jaculatus) mole montis oppressit. Fabula de fortuna Regum variâ & Rebellionibus, quæ in Monarchis quandoque evenire consueverunt, conficta est. Reges enim regnis suis, ut *Jupiter Iunoni*, veluti Matrimonii vinculo juncti recte censebantur; sed accidit nonnunquam, ut imperandi consuetudine depravati, & in Tyrannidem vergentes, omnia ad se trahant, & contempto Ordinum, & Senatus sui consensu, ex sese pariant: id est, ex arbitrio proprio, & imperio mero cuncta administrant. Id populi ægre ferentes, & ipsi moluntur Caput aliquod rerum ex sese creare, & extollere. Eares ex occulta sollicitatione nobilium, & procerum fere initia sumit, quibus conniventibus, tum populi suscitatio tentatur; ex qua Tumor quidam rerum (per *Typhoni* infantiam significatus) sequitur. Atque iste rerum status ab insita Plebis pravitate & natura maligna (Serpente Regibus infestissimo) nutricatur. Defectione autem viribus coalita, postremo res in apertam rebellionem erumpit; quæ quia infinita mala & Regibus & populis infligit, sub dira illa *Typhoni* effigie representatur, in qua centum capita ob divisas potestates. Ora flammantia ob incendia, Anguim cingula ob pestilentias, (præsertim in obsidionibus) Manus ferreæ ob cædes, ungues Aquilini ob rapinas, Corpus plumis contextum ob perpetuos Rumores, & nuncios & trepidationes, & hujusmodi. Atque interdum Rebelliones istæ, tam præ validæ sunt, ut Reges cogantur, tanquam à Rebellionibus transportati, relictis Regni sedibus & urbibus primariis, vires contrahere, & in remotam aliquam, & obscuram Provinciam ditionis suæ se recipere, Nervis & Pecuniarum, & Majestatis accisis: Sed tamen non ita multo post Fortunam prudenter tolerantibus, virtute & industria *Mercurii* Nervos recipiunt, hoc est, affabiles facti, & per edicta prudentia & sermones benignos, reconciliatis subditorum animis & voluntatibus, tandem alacritatem ad impensas conferendas, & novum Auctoritatis vigorem excitant. Nihilominus prudentes, & cauti aleam

fortuna tentare plerumque nolunt, & à pugna abstinent, sed tamen operam dant, ut aliquo facinore memorabili existimationem Rebellionum frangant. Quod si ex voto succedat, illi vulneris accepti conscii, & rerum suarum trepidi, primo ad fractas & inanes minas veluti Serpentum sibilos se vertunt. Dein de rebus desperatis fugam capessunt. Atque tum demum postquam ruere incipiant, tutum est, & tempestivum Regibus, copiis & universa mole regni tanquam *Aetna* Monte, vos persequi, & Opprimere.

III.
CYCLOPES, SIVE MINISTRI
TERRORIS.

Narrant *Cyclopes*, ob feritatem & immanitatem primo a *Iove* in *Tartarum* detrusos, & perpetuo carceri adjudicatos fuisse: verum postea *Tellus Iovi* persuasit, ei non abs re fore, si eos vinculis liberaret, ad eorum operâ & fulmina fabricanda uteretur. Quod ad factum est, atque illi officiosi, & industrii fulmina atque alia terroris Instrumenta assiduo opere & minaci strepitu fecerunt.

Tempore autem labente evenit, ut *Jupiter Esculapio Apollinis* filio succenseret, ob hominem medicinâ à morte excitatum; Iram autem tegens, (quia parum iusta indignandi causa suberat ob facinus piium, & celebre) *Cyclopes* in eum secreto instigavit, qui nihil cunctati fulmine eum interemere: In cujus rei vindictam *Apollo Iove* non prohibente, sagittis eos confecit.

Fabula ad Regum facta pertinere videtur. Illi enim Ministros rævos, & sanguinarios, & exactores primo supplicii afficiunt, & à rebus summovent. Postea ex consilio *Telluris*, id est, ignobili & parum honorifico, prævalente utilitate eos rursus adhibent; sicubi aut executionum severitate, aut exactorum acerbitate opus est. Illi natura truces, & ex priore fortuna exasperati, & satis sentientes, quid ab illis expectetur, miram diligentiam in hujusmodi rebus præstant; sed parum cauti, & ad gratiam ineundam & aucupandam præcipientes, aliquando ex secretis Principum nutibus & incertis mandatis invidiosam aliquam executionem peragunt. Principes autem invidiam declinantes, & satis gnari hujusmodi instrumenta nunquam sibi defutura, eos destituunt; & propinquis & amicis eorum, qui penas subierunt, atque horum declinationibus & vindictæ & odio populari eos relinquunt, unde magno plausu, & prosperis in reges votis & acclamationibus, sero magis quam immerito pereunt.

IV.
NARCISSUS, SIVE PHI-
LAUTIA.

N*Arcissus* fuisse traditur formâ, & venustate mirabilis, sed suberat superbia ingens, & fastidium intolerandum. Itaque cum sibi placeret, alios despiceret, vitam egit solitariam in sylvis, & venationibus, cum paucis comitibus, quibus ipse omnia erat. Affectabatur etiam cum ubique Nympha *Echo*. In hoc vitæ instituto fatale ei erat ad fontem quendam lymphidum venire, & juxta eum sub æstum medietate diei